

## **EPISTOLA AD CLERICOS I [EpCler I]**

Verschillen tussen de twee redacties zijn door Paolazzi aangeduid met **vet plus cursief**.

<sup>1</sup> Adtendamus, omnes clerici, magnum peccatum et ignorantiam quam quidam habent super sanctissimum corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi et sacratissima nomina et verba eius scripta, que sanctificant corpus. <sup>2</sup> Scimus quia non potest esse corpus, nisi prius sanctificetur a verbo. <sup>3</sup> Nichil enim habemus et videmus corporaliter in hoc seculo de ipso Altissimo, nisi corpus et sanguinem, nomina et verba, per que facti sumus et redempti *de morte ad vitam* (1 Joa 3,14). <sup>4</sup> Omnes autem illi qui ministrant tam sanctissima misteria, considerent intra se, maxime hii qui **illicite** ministrant, quam viles sint calices, **corporales** et linteamina, ubi sacrificatur corpus et sanguis **eiusdem**. <sup>5</sup> Et a multis in locis vilibus **collocatur et relinquitur**, miserabiliter portatur et indigne sumitur et indiscrete aliis ministratur. <sup>6</sup> Nomina etiam et verba eius scripta aliquando pedibus conculcantur, <sup>7</sup> *quia animalis homo non percipit ea que Dei sunt* (1 Cor 2,14).

<sup>8</sup> Non movemur de hiis omnibus pietate, cum ipse pius Dominus in manibus nostris se prebeat et eum tractemus et sumamus cotidie per os nostrum? <sup>9</sup> An ignoramus, quia **venire debemus** in manus eius? <sup>10</sup> Igitur de hiis omnibus et aliis cito et firmiter emendemus; <sup>11</sup> et ubicumque fuerit sanctissimum corpus Domini nostri Jesu Christi illicite collocatum et relictum, removeatur de loco illo et in loco pretioso ponatur et consignetur. <sup>12</sup> Similiter nomina et verba Domini scripta, ubicumque inveniantur in locis immundis, colligantur et in loco honesto debeant collocari.

<sup>13</sup> Hec omnia **usque in finem universi clerici tenentur** super omnia observare. <sup>14</sup> Et qui hoc non **fecerint, sciant** se debere coram Domino nostro Jesu Christo *in die iudicii reddere rationem* (cfr. Mt 12,36).

<sup>15</sup> Hoc scriptum, ut melius debeat observari, sciant se benedictos a Domino Deo, qui **illud** fecerint exemplari.